



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

LXXXIV. Iosephvs Clemens. LXIII. Arch. XLVII. Elector.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

cum XIV. delatus, tantisper aulam Francicam fugit, & anno 1651. ad Maximilianum hospes pervenit. Columen suum non minus expertus est Maximilianum Ernestus Hassiæ Marchio, qui an. 1652. Coloniæ sibi elegit columnam, ut relicto Lutheri ædificio ruinoso staret & quiesceret securius. Annis Electoratûs sui posterioribus, partim domesticis, partim externis, expositus bellis, fortunam sustinuit variam, præsertim verò dum fœdus iniit cum Gallorum Rege adversus Batavos haud annuente Cæsare. Maximiliani scopus erat ditiones suas à Batavis sibi ereptas, præsertim verò Rhenobergam munimentum suum recuperare, quod promittebat & præstabat initum cum Gallis fœdus. Inter sacrum & saxû igitur medius Maximilianus, quò se verteret, crebrò incertissimum habuit, soli Deo denique adhærere & aliàs, & maximè in lucta ultima doctus, quam sustinuit an. 1688. post annos Regiminis 38.

LXXXIV. IOSEPHVS CLEMENS, LXIII. ARCH.
XLVII. ELECTOR.

Josephus Clemens Dux Bavarus Maximiliani Emanuelis Electoris frater an. 1688. favente Innocentio XI. & Cæsare Leopoldo contra S. R. E. Cardinalem Wilhelmum Fürstenbergicum Argentinæ Episcopum, & Archiepiscopi Coloniensis Adjutorem electus, Mitram Leodiensem unà cum Coloniensi conservavit, Frisingensem verò & Ratisbonensem Successoribus aliis reliquit. Varia dein Martis discrimina subiit, certantibus inter sese de corona Hispaniæ primò Cæsare & Gallorum Rege; mox verò Europâ propemodum universâ. At tandem stabilita pace sacris sese totum muniis denuò consecravit Elector Clemens, dum more Episcoporum veterum nunc conscensis exedris sacris ad avidissimum populum dixit, nunc Sacerdotes aut Episcopos consecravit, nunc ad Christianas aras perductos Baptismatis aquâ mundavit, nunc ritè baptizatos in fide confirmavit, paratissimus

Aa

etiam

etiam non rarò confitentibus aures accomodare. Annos vivendo superavit 53. annis 35. Coloniae Sedem suis virtutibus multis exornavit, anno seculi nostri 23. ad meliorem vitam est evocatus. Hæc in compendio dixisse sufficiant, Plura qui desiderat, Scriptores Colonienses adeat & urgeat, ut scribant suorum Principum facta & fata.

LXXXV. CLEMENS AVGVSTVS, LXIV. ARCH.
XLVIII. ELECTOR.

Clemens Augustus Maximiliani Emanuelis Electoris Bavari filius, an. 1700. instar felicissimi syderis mensè Augusto natus nobis, & ab ineunte ætate partim in principe Bavavorum urbe Monachii, partim in ipsa Urbe urbium domina moribus optimis & præclaris exornatus studiis, ipsum Romanum Pontificem Clementem XI. veneratus est persæpe, rerum suarum & arbitrum & laudatorem Sanctissimum. Promeritus est inde maximè, exornari primò Mitra Episcopali Ratisbonæ; paucos verò post annos Paderbornæ, Monasterii, Coloniae & Hildesia. Plura modò non sinunt scribere Augusti Principis & Electoris perspecta omnibus Modestia, & Historia mortuorum magis, quàm vivorum viva memoria.



PRÆ